

2. Mercurius sublimatus, summum venenum, mixtus cum debita quantitate mercurii vivi, privatur omni sapore, omni corrosivitate & effectu lethifero.

3. Gummi guttæ, colocynthis, fortissima & nocentissima purgantia sunt, si in tinctura tartari solvuntur, emergit essentia resolvens, diaphoretica, quæ planè nullam virtutem amplius possidet, vel minimam tantum purgantem.

4. Oleum vitrioli, spiritus nitri concentratus, summe caustica & noxia corpora sunt, quando ipsis instillatur in debita quantitate oleum tartari per deliquium, abeunt in medicamenta tutissima & præstantissima.

5. Antimonium diaphoreticum, sive cerussa antimonii, regulus antimonii medicinalis, addito carbonum pulvere igne fusionis tractata, virulentam pristinam suam naturam acquirunt.

6. Panis, caro, alimenta gelatinosa, sunt optima nutrientia: destillata autem igne exhibent liquorem oleosum, salino-acrem, qui calorem intensum corpori communicando sudorem pellit & sapore ac odore ingratus est.

DEMONSTRATIO XLII.

Sapor & odor corporum ex mechanica ratione, seu mixtione ac dispositione certa ac determinata corpusculorum optimè deducitur.

*Experimenta.*

1. Saccharum corpus dulce est, coloris albi, quod si igne colliquatur, amittit omnem suam dulcedinem, & in massam fatiscit viscosam, rubram, cujus drachma aliquod mensuras aquæ limpidaë colore tingit elegantissimè flavo-citrino, instar vini Rhenani, vel Hispanici.

G

2. Aqua